

complacitum) ut aurium vacuas ædes aperire, & benignè  
me audire velit M. V. Et tibi Ampliff. Procancellarie. E-  
tiam vobis, viri Reverendi, Excellentiff. Experientiffimi,  
quia exporrigo frontem & faciem, nec omnia dirigo ad  
unius rationis trutinam, à vobis obnixè rogo & oro, ne  
omnia operosius examinatis, libretis, & pensiculetis. Tan-  
dem vobis non minores, vobis, inquam, brachia pando,  
vel potius affectui vestro: Vos, quæso, Viri luvenes No-  
biliff. Lectiff. ac dilectiff. Expandite sinum amoris, & fa-  
voris libram appendite: si non in merentem, certè cupi-  
entem, appendetis fortè, si non ad lancem omnia pende-  
tis. Vnde ordiar? quo progrediar? quâ orbitâ, quam infi-  
stam viam, aditum aut exitum non facilè reperio, si semel  
me penetro in hoc profundum. Notum quòd mare, qui  
ingreditur in arbitrio venti sit, nec appellare ad portum,  
cùm maximè velit: quæ sanæ causa abstinet me àb altiore  
initu, quòd materies alioqui vocaret: & quia reprimat hic  
metus, ad navigare jubet litus uti circa illud natabo, ubi  
me adhuc emerfurum sperabo. Quàm diu æquor hoc vi-  
tæ navigamus, tam diu fluctus: & interèum serenum ali-  
quod si blanditur, decipit, & verè tempestas major suc-  
cedit. Quemadmodum mare rarò tranquillum ventis  
ut plurimum inquietum & procellis: sic quoq; Respub.  
fluctibus assiduis. Tametsi populus suâ sponte placatus se-  
ditiosorum vocibus ut violentiffimis tempestatibus sæpè  
numero attollitur. Felices qui peritorum nautarum in-  
star, non ad singulas concussiones nauscant, aut ægres-  
cunt. Nec videntur, qui in jus ambulant, sæpiús absimiles  
multis fluminibus, quæ causa, rogas? Non apparet alia,  
quàm quia in multis se identidem scalpit, & exasperat  
mens mala quâdam scabie infecta litigandi ac dislerendi  
tota pruriens. Vt eò citiús lites moveant, alimentum bo-